Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36561
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Et paulus dissolui desiderat et esse cum xpo.

cidit. Sed stratum illic scriptum est, quia stetit leo iuxta asinum.
et non comedit leo de cadauere. Ex qua re ostenditur quod pec
catum inobedientiae in ipsa fuerit morte laxatum. quia isdem
leo quem uiuentem praesumpsit occidere, contingere non praesum
sit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi ca
dauere comedendi licentiam non accepit, quia is qui culpa
bilis in uita fuerat, punita inobedientia erat iam iustus
ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris uitam necauerat, custo
diuit postmodum cadauer iusti. PETRUS. Placet quod
dicis. sed nosse uelim si nam ante corporum restaurationem
in caelo recipi ualeant animae iustorum. GREGORIUS. Hoc neque de
omnibus iustis fateri possumus, neque de omnibus negare. Nam sunt
quorundam iustorum animae, quae a caelesti regno quibusdam adhuc
mansionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud
innuitur, nisi quod de perfecta iustitia aliquid minus habuerunt?
Et tamen luce clarius constat, quia perfectorum iustorum animae
mox ut huius carnis claustra exeunt, in caelestibus sedibus recipi
untur. Quod et ipsa ueritas attestatur dicens: Ubicumque fuerit
corpus, illuc congregabuntur aquilae, quia ubi ipse redemptor noster
est corpore, illuc procul dubio colliguntur et animae iustorum.
Qui igitur xpm esse in caelo non dubitat, nec Pauli animam esse in cae
lo negat. Qui etiam de solutione sui corporis atque inhabita
tione patriae caelestis dicit: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habi
tationis dissoluatur, quod aedificationem habemus ex deo
domum non manu factam aeternam in caelis. PETRUS. Si igitur nunc
in caelo sunt animae iustorum, quid est quod in die iudicii p-